



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Triapostolatvs Septemtrionis**

**Caesar, Philipp**

**Coloniæ Agrippinæ, 1642**

7. Procuratoris S. Ansgarij de S. Rimberto Visio, eiusque explicatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43650**

Sanctus infudit; iuxta sententiam quam etiam  
superius de Actibus Apostolorum protulimus.

## CAPUT VII.

Procuratoris S. Ansgari de S. Rimberto Visio;  
eiusque explicatio.

**A**Ccedit etiam ad præsagium virtutum  
Beati viri visio quædam de ipso reue-  
lata Procuratori Antistitis, primâ mox no-  
te aduentus eius Hammaburgum, cùm ipse  
adhuc in prima ætate adolescentiæ fuisset.  
Videbatur enim eidem Procuratori, conspe-  
xisse seipsum Rimbertum sedisse in fastigio O-  
ratorij, signumque Ecclesiæ vnum quod nos  
Cloccam vocamus in cœlo apparuisse, à quo  
ligamen lineum ut assolet in modum funis de-  
missum usque ad ipsum dependeret Rimber-  
tum, per quod ipse idem signū hilariter traxi-  
se, & sono eius dulciter delestatuſ esse videba-  
tur. Cui somnio congruā ex diuinis Scripturis *Visio[nis]* Explicatio  
interpretationem repetimus. Præcipitur Mo-  
si à Domino, vt inter alia uestis Sacerdotalis  
mystica indumenta hęc etiam fiant: Deorsum,  
inquit, ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum  
quasi mala punica facies ex Hyacintho & pur-  
pura & coco bistincto, & vt in sequentibus  
inuenitur ex bysso retorta, mixtis in medio  
tintinnabulis. Quare autem hic tintinnabu-  
la adiungi præcepta sint, inferius ostenditur:  
vt audiatur, inquit, sonitus quando ingreditur  
Pontifex Sanctuarium in conspectu Domini,

& non moriatur. Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, se de eo sonitus non audiatur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Quia igitur futurum erat in sommo Ecclesiæ gradu consenso, vir Domini ornamenti spiritualibus eniteret, ut etiam prædicationis officium insigniter egisse probaretur, rectè in fastigio Templi, quod significat apicem Pontificalem cum doctrinæ suauissimo & cœlitus attracto sonitu ad conuocandam Seruitio diuino sacram Christi plebeim sedisse videbatur. Hoc enim in huius ostensione visionis personans attractu eius signum cœleste significare potest, quod in veste Pontificis in tinnabula monstrare probantur. Qualiter etiam cætera quæ de scriptura sacra proposuimus Sacerdotalis habitus ornamenta spiritualiter in tese semper exhibuerit ad profectum simul & imitationem legentibus exponere iudicauimus. Malis vtique punicis vtebatur, in quibus multa interius grana uno foris cortice teguntur: quia ipse semper multifariam virtutum operationem uno Caritatis munimine vndique versum teatam gestabat. Hæc autem mala punica ex purpura & hyacintho & coccobistincto & bysslo retorta erant, quæ cuncta illi aptissimè conueniunt: Omni enim desiderio semper quærebat cœlestia, quæ per hyacinthum significantur, pro Christi nomine usque ad

Marty-

Martyrium paratus, quod intelligitur in purpura, amore Dei & proximi flagrans, quod per coccum bistinctum exprimitur. Et sicut byssus de terra eruta longo exercitio, siccandi, tundendi, purgandi, coquendi, & nendi, gramineum solet perdere, & candidum in se recipere colorem: ita ipse cum magno continentiae labore quasi natuum exsudans humorem, & decorem dignæ Deo puritatis, solerti ieiuniorum & vigiliarum & orationum & lectionis patientiae & humilitatis instantiâ peruenit. Quibus omnibus tintinnabula habuit permixta: quia raro aliud ab illo quam prædictarum virtutum suauissimus sonitus audiebatur, qui rursum operum eius sublimitate audientium mentibus commen-dabatur; sicut & sequens de illo huius opusculi textus manifestius ostendet.

## C A P V T VIII.

*Visio S. Rimberti de Arnolfo Presbytero, huius quærela & per illius abstinentiam liberatio.*

**C**VM adhuc esset in obsequio successoris sui Domni Ansgarij, apparuit ei Presbyter Arnulfus iam diu defunctus, & per contanti de eius causa in alterius seculi vita dolenter respondit: Ego, inquiens, dum ad hoc in carne essem negligenter de animæ meæ agebam salute, grauitatem personæ meæ competentem non seruans, ocio sapienter vacans, & alis

*Quarela  
dudum iam  
morsus presq  
byero Atz  
nulsi.*